

(BW6)

# PROTREPTICUM

SIVE

## ADORTATORIUM CARMEN

Anna pro studiorum instauratione in Pontificia  
B. Marti Limana Universitate

RECITANDVM

A LATINI MVSÆI ALVMNO

MARIANO GARCIA ET GARCIA

AETATIS SVAE ANNO UNDECIMO

PRAESIDE

Josepho Perez de Vargas

Annis in hac urbe tribus et quadraginta Latinae lin-  
guæ, humaniorum literarum, publico necnon Rethorices  
Moderatore, Scholarum Censore, et in praefatis Mu-  
sæo a Peruviana Gubernatione electo Institutore, Li-  
beratoris Bolivaris numismate decorato &c.

REP. SAL. ANNO MDCCXLIV.

Limae Typis "Commercii"

APVD

Josephum M. Monterola.



БІЛОРУСЬКА

ІМЕНІ ДЛЯ ПІДПІДЧИСЛА

ІМЕНІ ДЛЯ ПІДПІДЧИСЛА

ОІСІЛІА ПІДПІДЧИСЛА

4.100.4

.... *Virtus Artesque replent sapientia corda  
His opibus, quas nulla valet subversio rerum;  
Non fera Tisiphone, non agmina dira Sororum  
Mentibus eripere.....*

LIN. 279 PAG. 9

## HIERORCVM CARMEN

### PROTREPTICVM.

- Qualis Vere novo, *Sapientum splendide coetus,*  
Quum penitus croceo nebulas detersit Eoo,  
Terras aurato conspergit lumine Titan;  
Quum levis aura tepet, Zephyris Aquilone fugato;
- 5 Fronde nova colles, vitreo nova gratia fonti  
Apparet, formasque novas Natura reducit;  
Haud aliter vestris afflatibus excita rursus  
Pectora concipiunt pulchrae Virtutis amorem.
- Iam novus ardor agit studiis advertere mentem,
- 10 Quae intermissa diu vires afferre recentes  
Conatu maiore parant, prope certa futuri  
Progressus; patrii redivivaque signa decoris  
Vndelibet sperare iubent post otia fructus.
- Nunc quoniam mihi sorte datum de more quotannis
- 15 Auspiciis sacrare diem solemnibus istam,  
Haud mihi Calliopis, Cliusve ad carmina numen  
Implorare iuvat, veterum quas somnia vatum  
Effecere Daes, pronasque in vota vocarunt.
- Proh! Tu doctiloquus, tua virtus cognita, clarisque
- 20 Artibus acclive ingenium mihi suscitet oestrum,  
Aeternoque tuum sculpendum nomen in aere  
Fatidico perstet cantu memorare iuventus,  
*Rector, et omnigena sonet undique laude Lycaeum.*
- Quis tali exemplo, tali duce, teque Patrono,
- 25 Palladium remoretur iter, remoretur honores,  
Et studia, et doctas animo non inseret Artes?  
Pimpla mihi primum patuit, tentataque cessit  
*Haec via, quae nondum fuerat peragrata Camoenis;*

- Hac iter incoepturn sequar, aggrediarque canendo  
30 Dicere, quae poscit scopus, et vetus ordo Licet?
- Vos, Proceres, Patriae spectandaque lumina nostrae,  
Quos penes arbitrium, moderandi et cura labores  
Pierios, vestro dum carmina pangere ductu  
Conamur, coepto linguis animisque favete.
- 35 Grammatice ingenuas inter communibus ausis  
Se profert Artes, speciemque et nomina rerum  
Quum mens prima rudis discriminat; indeque jungit  
Verborum certa veluti compagine nexus;  
Ingenii hoc prius ad studium tentamen; ut auri
- 40 Indicium lapis artifici est, adamantis et ignis,  
Haud secus ingenium probat Ars, et norma loquendi.  
Hanc prope subsequitur luxu cernenda, suaque  
Maiestate gravis, quum versicoloribus aptat  
Mille stylum formis, corpusque trimembre resolvit
- 45 Rhetoricae innitens nervis facundia linguae,  
Scilicet adstantes circum se quoque ferendo.  
Hinc Oratoris vis, grandiloquentia, robur  
Eminet, imperiumque sui protendit in orbem.  
Concinna Historici narratio tempora pandens
- 50 Annales et gesta virum commendat in aevum.  
Liberior sublime tenens petit astra volatu,  
Insignesque beat Coelo pietate, vel arnis  
Heroas, misseque Diis virtute Poesis;  
Sed non hoc munus conceditur omnibus omne.
- 55 Induit ille humilem soccum, tragicumve cothurnam;  
Hunc Maro, vel Naso, Ausonius, vel Horatius ore  
Mellifluo tenet; hic penetrantia spicula tingit  
Felle Lycambeo; adniti, neque sistere contra  
Posse datum, quin tanta paret Natura creatrix.
- 60 At neque sufficient Naturae dona Poetae,  
Si labra attingat summis Aganippidos undis;  
Huc opus est remis velisque insistere, certam  
Si cupias metam contingere. Longius absit  
Pseudo-poetarum illuvies impunis in omnes
- 65 Offendens sine luce vias malesana meando;  
Perque tot ambages, sine lege, sine ordine pergens,  
Dedecus aeternum Phoebo sacrificisque Camoenis  
Irridenda minus quam commiseranda perennat.  
Dum pœcus infestum iacet hoc, sine nomine vulgus
- 70 Despicite, ac vosmet, Iuvenes, servate periclo;  
Praegustate sacros latices, penetrate recessus  
Pieridum; lauros decerpite proemia vatum,  
Quas coluit Latium puro de fonte petendas.  
Haud tamen ullus erit, qui recte impleverit omnes

- 75 *Rhetoricæ dotes et munera, si caret Arte,*  
*Quae verum doceat methodo disquirere certa.*  
*Orator Logicen fraterno huic foedere iunctamque*  
*Consulat; alterius pompam, luxumque sequatur.*  
*Alterius, ductuque suo vestigia firmet,*
- 80 *Ne labyrinthos per flexus coecus inerret,*  
*Dum catus evitet sinuosa volumina rerum.*  
*Quo Sophus, Historicus, Vates, genus omne virorum,*  
*Pergat, iudicio ni ponderet omnia sano?*  
*Crediderit falsum, vel quae sint vera negarit.*
- 85 *Talibus instructis, mens iam tollatur in altum,*  
*Demonstrante viam, quae recte ducat ad astra,*  
*Quaeque vel una queat facere, et servare beatos;*  
*Seu Pars spectetur, quae ad mores pertinet, unde*  
*Iure suum nomen traxit, seu tenditur ultra.*
- 90 *Et quae corporeas, incorporeasque reducit*  
*Ad trutinam res conspicitur mirabilis, alte*  
*Ingenii vires acuit, scrutatur et omne,*  
*Quod Natura suis inclusit legibus extra*  
*Concessos homini fines; magis abdita pandit.*
- 95 *Arcana, et passim profert in luminis auras.*  
*Clarius eque erit quam divinare futuros*  
*Astrorum motus, causasque vicesque latentes?*  
*Sidera quaeve polo labentia, fixave perstent;*  
*Quae Solem, pluviosque ferant cum grandine nimbos;*
- 100 *Pleiadas Arcturumque, Hyadas, geminosque Triones,*  
*Solis defectus Lunaeque, vicesque laboresque?*  
*Vnde trahat varios septemplice luce refracta*  
*E Phoebi radiis Thaumantias ore colores;*  
*Quaeve latens tonitrus, vel fulguris extet origo?*
- 105 *Quid velit ipse sibi quum exundans littore pontus,*  
*Decrescensque iterum siccas cur linquat arenas?*  
*Metiri spatia immensa, ingentesque per aetra*  
*Sese attollentes superando sidera montes?*  
*Dignius humanis et quidnam mentibus umquam*
- 110 *Quam Scire unde hominum veniat genus; illius inde*  
*Nosse animam nullis subiectam legibus atrae*  
*Mortis, ab aeterno aeternumque esse Parentem?*  
*Heus, tu mortalis, terrena ab origine cretus*  
*Principium iam disce tuum, tenuemque fatere;*
- 115 *Eque tot ac tantis, quae te undique circumsistunt*  
*Prodigis rerum Mentem venerare Supernam,*  
*Quae dum cuncta movet, quae sic regit ipsa creavit,*  
*Partitisque simul per saecula temperat horis!*  
*Occupet hinc vestrum Divina Scientia pectus,*

- 120 Significansque Deum, sumpsit quae nomen ab ipso.  
 Olli materies scitu dignissima, quamque  
 Plenius evincent Fidei *Sacra Dogmata*, necnon  
*Concilia, et Canones, Sanctorum scriptaque Patrum.*  
 Seu vacet *Historiam* perpendere, discere *Saeram;*
- 125 Ex nihilo coelum, terras, mare, cuncta creatae  
 Eduxisse Deum primaevi commoda Patri,  
 Progenitisque suis, statuit quos prava secutos,  
 Imbris effusis tumido disperdere ponto.  
 Utque Noam servet, vacuo qui redderet orbi
- 130 Progeniem puram, noxis, culpaque carentem;  
 Cui ratio, pudor atque fides, cui cura parentum,  
 Sitque sacri penitus cordi reverentia cultus.  
 Mox, in deterius gentes up cernit euntes,  
 Saepe fame et plagiis perimat, ferroque veligne,
- 135 Delectumque sibi populum tendat, foveatque,  
 Ex quo humanatum *Verbum* immortalis origo  
 Disiiciens tenebras, quas ethnicus offundebat,  
 Ederet humanis reparatam morte salutem.
- Sive sit *Historiam* lustrare *Ecclesiae* ab ipso  
 140 Tempore, quo princeps dominatur in orbe redempto  
 Relligo patrum tot iam servata per annos,  
 Quilibet acta malis, semper magis aucta triumpho.  
 Sed iam propositus nobis expostulat ordo  
 Ut de *Civili* tentem superaddere *Iure*
- 145 Quae locus iste sinat, quae sint mage pervia dictu.  
 Humanum ingenium, partes dum tendit in omnes,  
 Vergit in obliquum, nec habet Natura regressum.  
 Conditione sui faciles hic suscipit iras,  
 Innocuumque necat ferro nil tale timentem;
- 150 Hunc et livor edax, et amor sceleratus habendi  
 Possidet; ille scelus vitium perrumpit in omne;  
 Alter amat caudem; iste novas per fasque nefasque  
 Res animo versat, fratrem petit, atque parentem,  
 Uxorem, sociosque, sibi dum commoda quaerat,
- 155 Dumque inhians auro, cumulum per crimen adauget.  
 Heu pars terrarum quam rara vacarit ab illo,  
 Ni vigilent *Leges, Juris-Prudentia* culpae  
 Ni statuat sonentes meritas expendere poenas!  
 Sic capit optatos per noctes incola somnos;
- 160 Servat opes civis frontis sudore paratas,  
 Sive accepta suis a patribus excolit arva  
 Agricola, et gaudet tutos errare iuvencos.  
 Haud humilem vexat fortuna elata potentis;  
 Nec metuit gladios qui tutus vixit inermis

- 165 Iustitiae clipeo tutatus; servat amicus  
Pignus amicitiae; non hospes ab hospite tectas  
Insidias pavet, innocuus temnitque nocentei.  
Legiferi Patres Orbis veterisque novique,  
Gratia sit vobis, qui dum statuistis habendas
- 170 Has leges patrias, sanctaque iura sacrari  
Principio voluistis, adhuc in honore supersunt,  
Auspiciis tantis iterumque iterumque manebunt.  
Gallorum incursus tutudit sic celsa Pyrene,  
Liberaque hostilem excussit cervice securim;
- 175 Legibus et Patriae parendo vocibus almae  
In commune tulit rem Libertatis honoram.  
Sic veteres populi Minoia regna colentes;  
Sic olim armi-potens Lacedaemon culta Lycurgo;  
Sicque Solon, artes per te viguere Pelasgae;
- 180 Arx et in inmensum quum creverat alta Quirini,  
Nempe quod imperium sine legibus omne caducum,  
Iura dedit populis, quos ante subegerat armis.  
Ast ubi quae ad mores debent animumque referri,  
His statis impensum studii, curae, atque laboris,
- 185 Haud erit in vacuo Structuram corporis, atque  
Grande ministerium perpendere, quantaque passim  
Vna eademque gerat commercia spiritus, illud  
Quotve malis iaceat, morbisque prematur inquis.  
Unde tot aegrotos primaevi in flore iuventae
- 190 Ante datos homini fines Libithina recidat?  
Unde salus reparata novas in corpore vires  
Restituat, tardosque senem comitetur ad annos.  
Proh! Quot praereptos e duri faucibus Orci  
Vidimus, heu premeret quos nox aeterna tenebris,
- 195 Ni praesto fuat e facili Podalirius horto  
Pharmaca decernens, quae ab Apollinis arte ministret,  
Gaudeat ut docilis natura levarier aegri.  
Principio rerum, nondum licet ulla malorum  
Semina constarent, et nomen inutile lethum
- 200 Esset adhuc, virtus cunctis fuit insita plantis,  
Queis Sapiens Opifex Naturae ornaverat agros,  
Quasque salutiferos homo tum collegit in usus  
Quum tandem certae sensit se occumbere morti.
- Fertilis ante omnes, divesque Peruvica tellus,  
205 Non minus ingenii, argenti, aurique metallis  
Quam tot et innumeris, quos fert clementia coeli  
Fructibus indigenis, iactes opobalsama, gummi,  
Cephalicas, et nephriticas, aptasque virenti  
Caule levare herbas membra interfusa veneno;

- 210 Emeticas illas, somnosque reducere fessis  
Luminibus; faciles istas sedare dolores  
Corporis, appositos febresque fugare furentes  
Cortice Chinchono succos si sumis amaros;  
Quae, si tu discas medica prae noscere ab arte,
- 215 Antidotumque malis prudenti excerpere dextra,  
Morborum fugitiva cohors petet horrida Ditis  
Atria, perque tuos haud ausa intrare penates  
Iam numerabis avis proiecta aetate nepotes.  
Dum pede inoffenso, Iuvenes, has ire per Artes
- 220 Fert animus, iuvet alternas dare lusibus horas,  
Et fessam studiis mentem recreare legendos  
Grandia facta virum, coluit quos prisca vetustas,  
Quique vel e scriptis, vel clarum nomen ab armis  
Sortiti invidiam superant, et saecula vincunt.
- 225 Area lata patet per quam mens vestra pererret  
Temporis annales lustrando, interque legendos  
Obvia quaeque suum tempus referantur ad aptum;  
Quae fuit imperiis, quae quanta potentia regnis,  
Qualis apexque; suae quae rursus causa ruinae.
- 230 Quae acciderint ducibus poenis, ducibusne latinis;  
Queis Caesar vitiis, qua sit pietate, superbis;  
Curtius et Cato prodiderint quae gesta; quibusve  
Clari splenduerint patriis virtutibus aequo  
Romulei innumeri, per quos fama inclita crevit
- 235 Urbis in immensum late dominata per orbem;  
Obstupeasque, olim tot regum, tot populorum  
Victrices aquilas sibi subdere cuncta latinas.  
Discite num Priamus Codro, Numa sitne coaevus
- Antenori, Aemonius, Tyriusne feratur Achilles.
- 240 Non ithacus Ninus, assirius memoretur Vlisses,  
Haud lyciis Turnus, rutulis tribuatur Orontes.  
An Vestae Nilus, Tibris Isidis alluat arva.  
His quae ad nos venient auctoribus eruta priscis  
Grande operae pretium dubius vitetur ut error,
- 245 Tempore, nominibus, patria, regione, locove;  
Certius emergent studio quae condidit aetas.  
Quis tamen, ut lepido ponatis seria ludo,  
Si inspexisse iuvet quae occurasant agmina Divom,  
Temperet a risu deliria tanta legendos?
- 250 Quis feret esse Iovem cycnum, taurumque bicornem?  
Esse hominem, esse feram, flammis auroque nitore;  
Mentiriique alias formas ratione carentes?  
Illius e cerebro armatam prodisse Minervam?  
E spumis Venerem? Terra genitosque gigantas?

- 255 Capripedes Faunos, et Pana? Hecatenque triformem?  
In saxa, in fontes. versos hominesque deosque  
Conticeam? Daphnī viridi frondescere trunko?  
Hinc orbam Nioben duris lapidescere venis  
Ausam Latonae geminam contemnere prolem?  
260 Teque, Arethusa, tuis subter labentibus undis  
Aequoreis immixta vadis? Acheloiā lymphis  
Ora madere, genas, muscoque virescere frontem?  
Fluctibus audistin' piceis Acheronta moveri?  
Tartaream manes circumvolitare paludeim,  
265 Et data lethaeis undis oblivia vitae?  
Plura quid? .... Obiicient passim se furfuris huius  
Plurima, quae naevus foret ignorare, pudenda  
Credere stultitia; at sensus quaeratur, et inde  
Damnetur vitium, laudandaque siqua probentur.  
270 At, licet omnigenae nimium felicibus ausis  
Cognitionis iter pateat, tamen esse putandum  
Vestibulo in primo, ni rectum vestra sequatur  
Mens, et in obtutu semper sit fixa bonorum.  
Proh! Iuvenes, Patriae lumenque decusque futurum,  
275 Perque ipsam exoro, per vos, vestrosque parentes,  
Qui tales genuere, per et iam quidquid honorum est,  
Insita sit cordi Virtus radicibus imis;  
Vestraque sit vitio Sapientia prima carere.  
Nam Virtus Artesque replent sapientia corda  
280 His opibus, quas nulla valet subversio rerum;  
Non fera Tisiphone, non agmina dira Sororum  
Mēntibus eripere, at proprio splendore coruscant;  
Imo post cinere rediviva luce supersunt.  
Hae palmae, hae lauri, summaque hac Palladis arce  
285 Victrici carpenda manu meta ultima restat.  
En vobis veterum, clara en exempla recentum,  
Praeque oculis vivos, pictosque in imagine telis,  
Quos colit et praesens, coluit quos serior aetas;  
Este illis similes, si vera est gloria cordi,  
290 Sic Sophiae ad templum, sic itur ad astra. *Canebam.*

